Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2523
Quelle:
Copyright:

XXI. *fol.* 256. Sermo de Christi Adventu in illud *Genes.* c. 45. *Pro salute vestra misit me dominus in Aegyptum* &c. Initium: *Que verba possunt predicari de aduentu Christi. quia Joseph significat Christum* &c. Exponuntur deinceps septem illae ab O. incipientes Antiphonae, quae totidem diebus ante Natalem Domini in Ecclesia cantantur.

XXII. *fol.* 257. p. 2. *Epistolam subscriptam Vniuersitas Pragensis post mortem Magistrorum venerabilium Magistri Johannis Hus et Magistri Ieronimi de Praga ad diuersa Regna et provincias testimonium perbibens de vita ipsorum et conuersatione laudabili destinauit.* Extat inter Epistolas *Hussi* Opp. P. I. p. 103. numero LXV. Initium: *Uniuersis sancte matris ecclesie katholice filijs — Etsi inter multas et arduas solicitudines* &c. Data *die XXIII. mensis Maij Anno domini MCCCCXVI.*

XXIII. *fol.* 258. *Sententia Concilij Constantiens. lata primum contra M. Johannem Wycleff et M. Hus et tandem contra M. Ieronimum de praga.* Extat T. XVI. *Collect. Concil. Venet. col.* 409. hoc initio: *Christus deus et saluator noster vitis vera* &c. Lata die 30. *Maij*, a. 1416. qua et crematus *Hieronymus.* Exemplum nostrum male *Idus Iulij*, neque rectius in fine post *anathematizatum* adtexit: *et ignis voragini finaliter comburendum. Et si quis eum in hijs et similibus velit excusare, simili pene subiacebit.*

XXIV. *fol.* 258. p. 2. *Litera subsequens est Regis Vngarie Sigismundi Responsiua satisfacere volens illi quam scripserunt Barones Regni Boemie et Morauie ad Constanciam dolentes de combustione Magistrorum Johannis Hus et Ieronimi.* Epistolam illam N. VI. hujus *Cod.* indicavimus. Praesens sermone *Bohemico* conscripta est: *My Sigmund bozy milosti Rymsky Kral* &c. Latinam produxit jam *Cochlaeus* saepe *cit.* L. IV. p. 155. qui tamen ipse conjicit *bohemice* exaratam fuisse.

DCLXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 251. 8. quorum tamen multa vacua, non una manu exaratus varia hoc ordine complectitur: I. Collectanea homiletica varia, dein de Matrimonio, de Poenitentia, de Confessione, et speciebus Peccatorum cum Formula se de his accusandi. 843

II. *fol.* 51. Explanationem Decalogi, cujus hic ingressus: *Cum secundum veritatis testimonium Math. 19. ad ingressionem in patriam sufficit et requiritur mandatorum seruancia — Vnde quidam considerantes quod christus et sui apostoli fidem scripture in lingwis varijs conscripserunt, doctrinam decalogi tam in lingwa latina quam Boemica diuerso scemate diuersis hominibus collegerunt* &c. Haec *Joh. Hussi* aut alicujus illius adseclae esse probabile faciunt sensa plura, quae iisdem verbis et in hoc *Codice*, et T. I. *Opp. Hussi* edit.